CONSVLTISSIMO SVO RESPONDENTI POMMERO ADVOC. ELECT. SAXON. PRO LICENTIA PVBLICE DISPVTANTI SALVTEM ET OFFICIA DICIT.

JO. PAVLL. KRESS J.U.D. ET P. P.

REſtituo TIBI Diſſertationem DE VARIANTE IVRE CRIMINALI PRÆCIPVE IN POENA FVRTI inſcriptam paucis tantummodo hinc inde, aut immutatis, aut aliquando interpolatis.

Nec aliter circa ſcripta inauguralia mihi oblata verſare ſoleo, cum ea non hoc animo elaborentur a Candidatis, ut quæ Præſidis doctrina ſit, inde lectores addiſcant, ſed, ut Candidatorum progreſſus in juris arte inde æſtimentur atque dijudicentur. Accedit, quod propria animi ſenſa circa criminum argumentum haud ita pridem in mea ad Carolinam commentatione ex inſtituto expoſuerim. Tetigi ibidem quoque ea, quæ ad fata & hiſtoriam rei criminalis, cum quoad judiciorum formam, tum quoad diverſas pœnarum ra-

 tiones

tiones ſpectant. Tetigi inquam, neutiquam pro dignitate tractavi, aut quantum ſatis eſt exhauſi. Inſerviunt quoad Romanos huic ſtudio, TIBERIVS DECIANVS, ANTONIVS MATTHAEI & præcipue CAROLVS SIGONIVS. Antiqua alias querela eſt, quod judicia, ſive ut jam loquimur proceſſus ſat levi brachio attigerint compilatores juris noſtri civilis, ſive inſtituta ſeu prima juris incunabula inſpiciamus, ſive latiora Digeſtorum volumina evolvamus, item ſive civilem, ſive criminalem proceſſum nominemus. Quid enim in utroque quæſo præter nomenclaturam variarum actionum & accuſationum, particulas itidem diſcerptas, atque hinc inde diſperſas & ſatis incogitanter ordinatas, e libris juris noſtri diſci poteſt? illud gaudeo, quod hæc talia profundius perſcrutari & ad minutias usque cognoſcere, non adeo magnum momentum conferat ad noſtrorum judiciorum habitum, per ſe jam ſatis diffuſum & prolixum, ut ei neutiquam in majorem rerum confuſionem opus ſit a peregrinis inſtitutis anxie petito aſſumento. Magis operæ pretium mihi facere ſemper viſi ſunt, qui in honorem patriæ, gentis noſtræ ſcita in hac materia conquiſiverunt, ut præcipue a CONRINGIO & HERTIO, in ſuis opuſculis factum, quibus in criminalibus judiciis noſcendis THOMASIVS & DATTIVS magna illa Jurisprudentiæ lumina, addi merentur. Enimvero præter judiciorum criminalium formam

mam alia adhuc ſunt, quæ emen dationem deſiderant. Sic non uni judices crimina pau perum tantum exilio mulctant, divitum autem facinora, vel pecuniola, vel ſola verbali qualicunque caſtigatione, de ratione hujus diſcriminis quæſiti reſpondent: ille nobis in hoc loco *inutilis* eſt, hoc vero divite ſcil. adhuc *uti* poſſumus. Neque adeo male hæc dicuntur, ſi uſum hominum non in illorum animi diſpoſitione, ſed in numario lucro collocamus. Sunt etiam, qui inter crimina vanum ſelectum conſtituunt, in quædam ſæviunt, quædam excuſant, vel defendunt. Aſt de his *vid. p. 339. not. in Carolin. noſtr. in fine.* Imo dantur judices, qui quaſi ex privilegio crimina quædam ipſi impune committunt, quæ tamen in aliis ſeveriſſime cœrcent. Audiamus Erythræum *in pinac. p. 238.* ita de FARINACIO judicum & cauſidicorum criminalium Chorago & anteſignano diſſerentem: *illud vero, qui eum* (Farinacium puto;) *novit ſatis mirari non poterit, quod cum omnes æquiores adverſus eos judices ſumus, qui nobis criminum eorundem ſocietate conjuncti teneantur: attamen ea ſeveriſſime in aliis peccata vindicabat, quibus ipſe* PRINCEPS *habebatur.* Addit paulo poſt judicium Clementis VII. de homine, qui ad nominis rationem alludens dixiſſe fertur: FARINA *iſta bona eſt, vel pollis potius, ſed non ſaccus, cui ille includitur bonus eſt, ſed fœdus ac turpis.* Sane uti de Tuis innocentisſimis & honeſtisſimis moribus mihi ab-

Google

aliis juris criminalibus ſcriptoribus, Doctoribus & in foro verſatis applicatoribus, quam plurimis meditatus cogitavi vah! quam bene & accurate hæc hominis docti & ipſius Pontificis de FARINACIO judicia, in tot alios quadrant. Aliorum furta, cædes, adulteria, falſa &c. deteſtantur, imo ut ERYTHRAEI ſtylo utar: *vehementisſimam tempeſtatem contra illos excitant*, cum tamen in eodem luto hæreant, atque hæc tantum ſuæ calliditati debeant, quod illorum facinora, imperitorum oculis ſubducta ſint. Nec illud vitium, quamvis in ſuperioribus & magnatibus hæreat, hic circa criminalia prætereundum, quod cives beatiores diſſolutis aliquando aularum moribus ad luxum & delicta carnis ſeducantur, miſera plebs autem tot exactionibus exhauſta ad furta & tandem ad crucem redigatur. Sed de ejusmodi obſervationibus alibi forte plura dicentur. Jam *Tua diligentia laudanda eſt* DOMINE DOCTORANDE, quod uti hactenus non infelici ſucceſſu in foro in defenſione captivorum induſtriam exercuiſti, ita nunc eandem publico ſcripto in cathedra doctis probes, & quod DOCTORIS munus in auditorio, æque bene ac advocati officium in curia adimplere didiceris, luculentius demonſtres. Perge in via tam egregie hactenus calcata & diutisſime & felicisſime, mihique etiam impoſterum fave. Helmſtadii MDCCXXI. die XV. Decembr.

Digitized by Google